



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CLXXII. De Expugnatione Castri Otholichiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hartmannus C. de Helderungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Pruss. Provinc.*

FRater Conradus de Tierberg
Magister considerans prudentiam & fidelitatem istorum Nadrovitarum, & (cum) per eorum recessum terræ Nadroviæ multum essent debilitatæ, misit fratrem Th. Advocatum terræ Sambiensis & exercitum cum eis ad dictam terram Nadroviæ. Qui in gressu territorium Rethovvi rapinâ & incendio vastaverunt, & procedentes ultra ad duo Castra dicti territorii post longum bellum inter eos habitum tandem divino freti auxilio utrumque expugnaverunt, & occisis & captis multis hominibus, ipsa cum suis suburbiis ignis incendio consumpserunt, tantaque præda in equis, pecudibus & aliis rebus recepta fuit, quod vix eam deducere potuerant.

*Anno Dn. M.CCLXXV. Innocentius Papa V. qui prius dicebatur frater Petrus de Tharen-
taks Ordinis Prædicatorum,
& Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt.*

Hoc tempore primogenitus Rudolphi Regis rediens victoriosè de Comite Sabaudia in Reno submersus est.

C A P. C L X X I I.

De

Expugnatione Castri Otholichia.

Non longè postea idem Fr. Th. Advocatus de Magistri mandato assumptis sibi pluribus fratribus & CL. equitibus cum multis peditibus navigio procedentibus venit ad territorium Nadroviæ, dictum Cathou, & ordinatis Sagittariis ad loca debita, applicatisque scalis ad mœnia, aggressi sunt ad impugnandum Castrum Otho-

Anno M.CCLXXVI. Adrianus Papa V. & Rudolphus Rex Romanorum regnaverunt.

Hoc anno Albertus Episcopus Pomesaniensis adificavit Castrum & oppidum Risenburg in terra Pruschie.

Eodem anno Joannes Papa XXI. natione Hispanus, magnum in arte physica librum

Hartmannus C. de Heldringen VIII. Mag. Gen. Ord. Tent.

Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

tholichiam; Sed quia Castrenses au-
dierant, quod fratres antea tam po-
tenter alia duo Castra expugnave-
rant, desperati tamque meticulosi
non poterant diu resistere; Sed post
modicam impugnationem pluribus
de Castro vulneratis, aliis cedenti-
bus, fratres violenter intraverunt, &
occisis viris captisque mulieribus &
parvulis ipsum funditus combusse-
runt.

*brum composuit, qui summa
vel thesarus pauper dicitur.*

*Hoc tempore Rudolphus
Rex Romanorum Ottakarum
Regem Bohemie in bello oc-
cidit, & Ducatum Austria
filio suo Alberto dedit, qui
postea factus fuit Rex Roma-
norum, & filiam suam dedit
filio suo Regis Bohemie oc-
cisi.*

CAP. CLXXIII.

De

Expugnatione Castri Caminis Wike.

Dominus Magister cum magno exercitu pertransivit terram
Nadroviam cum incendio & rapina; & cum pervenisset ad
Castrum Caminisvvikam, situm supra fluvium Arse, ordinatis
modo debito, quæ ad impugnationem sunt necessaria, aggressi
sunt ad Castrum, & vulneratis pluribus ex utraque parte quia
in Castro prædicto erant CC. viri in armis strenui, tandem post
longum bellum cum magna difficultate habitum inter eos, fra-
tres violenter intraverunt, & occisis viris omnibus supradictis,
captis mulieribus & parvulis cum inestimabili prædâ ipsum Ca-
strum penitus cremaverunt.

CAP. CLXXIV.

De

Desolatione terræ Nadroviæ.

Mul-